

An ergo sunt *ideæ* corporum, vti *Spinoza* voluit? sed quomodo ex illis *ideis*, vel *simplicibus*, mundus compositus est? *Ænigmata* hæc sunt, verba obscura, quorum nemo vllam potest habere perceptionem. Hinc & cl. *Engelhard*, Doctor & Professor Phil. Duisburgensis, *Leibniziani* nominis cultor, & in *Disp. de notione extensi ad mundum applicata*, primæ speciei *simplicia* Leibniziana admittens (licet ei superfit difficultas quædam, pag. 11. vt & in ceteris) & probans ex *compositione rerum*, quærit pag. 12. *Sed quid tandem erunt*, scil. hæc *simplicia*, siue *principia corporum*, siue *extensionis*? Cogitur dicere & fateri, *se nescire*; & *se horum simplicium essentiam determinare hæctenus non posse*; addens pag. 13. *forsan alii me sunt feliciores, aut forsam etiam serior ætas deteget*. Sed *opinionum commenta delet dies*, secundum Ciceronem. Desperavit, credo, ipse *Leibnizius* de suarum *Monadum* intelligibili explicatione; quia non vulgavit, aut perfecit nouam suam scientiam *Monadicam*, cuius multis ante obitum annis spem fecerat. Quis intelligit similiter, quomodo *anima hominum & brutorum aliquando in hoc statu simplicium & monadum* (siue *principiorum*, ex quibus omnia mundi corpora composita sunt,) fuerint, priusquam in sua corpora venerint? Quis capiet eorum *transformationem* in creaturas rationales?

XLX. Ex hac *transformatione* intelligi potest, quid sibi velit illa *Thesis*, a quodam Respondente in Academia Regiomontana, sed & serio ibidem cum aliis pluribus improbata, (*Disputatione ipsa mox prohibita*) quam ad calcem recusæ meæ *Disp.* adiecit Cl. *Langius*; scilicet hæc num XVIII. *mille modis variabor, nunquam vero esse desinam*; scil. in ipsas bestias, lapides, truncos, &c. *transformandus*; imo iam inde ab æterno per formas innumeras variatus. Cl. *Langius* hanc *thesin* merito confert cum verbis perditissimi cuiusdam Athei.

XX. 2. Notari in genere in his philosophematis debet pessima confusio mentis & corporis, & vtriusque proprietatum & attributorum. *Simplicia* enim, & *principia* extensionis omniumque corporum, sunt quasi *spiritus*; non habent *figuram*, nec *quantitatem*, nec *partes*, nec *quicquam*, quod *materiæ* conuenit. Quid ergo erunt? *Simplicia*, quæ *mundum obscure sine distinctione representant*. Quomodo? Per *ideas* credo, cogitando, percipiendo. Nescio quid aliud vox *representare* significare possit: eo magis, quia sequen-